



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De  
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,  
Commentariorum Libri LVIII**

**Valeriano, Pierio**

**[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678**

Urus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14259**

**N**equē defuere, qui per Urſi ſimulacrum iram immanem intelligi voluerint, quod id animal immodicis ſoleat animis excitari, & in omnem truculentiam efferri: unde apud Claudianum legas, Rhadamanthum ſolere Urſis ingerere truculentos. Sane Mathematici iracundum eum futurum dicentes, qui ſub primo & vigefimo Tauri gradu naſcitur, Urſum ibi ſtatuunt, retro ſpectantem, hoc eſt, ad ea quæ facta ſunt indignantem. Hinc Martialis lib. vi.

— *Rabido nec perditus ore,*

*Fumantem naſum vivi tentaveris Urſi,*

*Sit placidus licet, & lambat digitosque manusque.*

*Urſa etymon.*

Ira enim, ut Theocritus, *πρωτὴ πινὴ καὶ θυρῶν*. Quin ab irritatione nomen olim Urſis impositum: Ur enim Hebraica lingua incitationem ad iram ſignificat, & Ur Madianitarum Rex ab Iſraelitis occiſione caſus, ſignificat, ut Adamantius interpretatur, affectum huiusmodi ab iis qui Deum ſequuntur debere protinꝰ abſcindi. Alii nequaquam abſcindendum cenſent, ſed veluti ſubſidio paratum diligenter aſervandum: ut cum res poſtularit, adverſos noſmetipſos, pro iis, quæ inutiliter turpiter ve geſſerimus, irascamur, quam ſolam animi perturbationem etiam Epicteſus ſapienti cedit. Hæc enim iuſta & neceſſaria iracundia eſt, ut noſtri cenſent, qua unusquisq; in iis quibus erravit, aut perperam geſſit, indignatur, & ſemetipſum incuſat. Ex qua quidem indignatione ignis quidam in nobis accenditur, qui velut in agrum ſterilem immiſſus, conſumptis excoctiſq; voluptatis peſſimæ radicibus, bono divinarum inſtitutionum ſemini glebam præparat fecundiorē. Atque hic ille ignis eſt, quem ſe Aſſertor noſter proſitetur in terram immiſſurum, atque ut ſuccendatur, non indiligentem operam daturum. Alibi vero indignatio, ferociaq; urſina in Divinis literis indicium fuit Hieroſolymitani exciſiōis, ut Eucherus interpretatur 4. Reg. Nam cum Eliſæus aſcenderet in Bethel, ſcandenti ſemitam obviam facti ſunt pueri parvuli de civitate egreſſi, qui illudebant ei dicentes: *Aſcende Calve, aſcende Calve*. Quos Eliſæus indignitate rei commotus, in Dei nomine devovit, continuoq; Urſi duo de ſultu proximo prodierunt, qui ex eis duos & quadraginta pueros laceraverunt. Id ſub figura tunc geſtum, Imperatores duos præmonſtrabat Veſpaſianum & Titum Romanorum Principes, qui poſt duos & quadraginta annos ab aſcenſu Domini, captis Hieroſolymis, tantam Judæorum deſolationem fecere, ut deletum penitus ſit eorum regnum.

*Hieroſolymitani exciſiōis figuram 2. Reg. 2.*

#### IMBECILLUS PRINCEPS. CAP. XLVIII.

*Ad verbum à Plinio lib. 8. c. 50.*

**C**ivitem ab imbecillo rectam Principe ſignificare qui volunt, Urſi caput pingunt: invalidiſſimum enim eſt Urſo caput, quod contra Leoni fortiſſimum. Ajuntque Urſos alvearia non mellis pabulive ullius gratia inceſſere, apesque irritare, ſed ſalutis ergo, ut ſcilicet apum aculeis ora vulnerati, ſanguineq; ita emiſſo, gravedini qua plurimum laborant, remedium comparent. Venatores noſtri ajunt, ſi major aliqua vis, quam ſuperare deſperet, Urſu incubuerit, eum ſibi conſcium imbecillitatis, qua caput ejus laborat, ſi fugiens ad præruptam aliquam rupem pervenerit, manus ſupra caput tollere, iisque peccinatim firmiter complicatis, reliquo conglobato corpore præcipitem ſe dare, atque capturam evadere,

#### DE URO. CAP. XLIX.

**N**on innotuit Agyptiis Uruſ bos Germanica, ſed ante feras alias egregie ſylveſtris,

#### CAPTIVITATIS IMPATIENS. CAP. L.

**P**er quem eum, qui ſibi mortem conſciſcat, ne in manus hoſtium concidat, nonnulli congruenter hieroglyphicum propoſuerunt. Eſt enim Uruſ ejusmodi, qui propter ferocitatem vel numquam, vel difficulter capi poteſt: quod ſi eo inciderit: unde deſperet poſſe evadere, ſemetipſum præ ira ſuffocat, usque adeo genitum ad libertatem putat, qua denique nihil unicuique animantium generi optabilius eſſe videatur.

JOAN.